Vitellii Jacobi: Ode encomiastica Venerabili ac Religioso F. Alexandro Pinczovio.

ODE ENCOMIASTICA.

Venerabili ac Religioſo F.
ALEXANDRO PINCZOVIO,
Ord: Canonicorum Regularium, Cuſtodum
SS. Sepulchri D. Hieroſolymitani.
Celeber: Conuentus Miechouieñ. PROFESSO
SECVNDAM LAVREAM in Alma Academia
Crac: conſequenti.

A

M. JACOBO VITELLIO.



CRACOVIÆ,
In Officina Typogr. Matthiæ Andreouieñ.
Anno D. 1618.

In Stemma inclytæ Domus LVBIENSCIORVM.



QVod caput hoc bouis à propria ceruice reuulsum,
Ancipiti rursus finditur ense. Quid hoc?
Hu LVBIENSKI insignibus inclarescit, honorem
Diuûm relligio vendicat inde sibi
Quantos esse putas quorum bona symbola, ab ipsis
Incrementa DEIS desuper accipiunt.
Si quibus aulæis cælestia tecta teguntur
Hoc caput esse poli dignum in imaginibus.

Perillustri & Reuerendissimo Dno,

D. MATTHIAE ŁVBIENSKI. Ordinis Canonicorũ Regularium. Custodum SS. Sepulchri D. Hierosolymitani, celeber: Conuentus Miechouien. Præposito Generali, S. R. M. Secretario. Domino suo colendissimo.

NEmo vnquam literas suas tametsi perexiguas in lucem & oculos hominum, absq; præsidio, & tutela singulari promulgauit Reuerendissime D. e. Nec immeritò, vbi enim ex imbecillitate sua & infirmo ingenio labascunt, veneratione tutelari, & præsidiariis neruis confirmantur. Existimabam & ego hunc laborem (quem tenuem non diffiteor) susceptum ex hominis de literis bene meriti dignitate, ad Reuerendiss: D. V. potissimùm pertinere; tum quia ille autoritate, & voluntate benefica Reuerendiss. D. V. tanto tempore in Alma Academia meruit: tum quia ex literis seu fontibus Reuerendiss. D. V. spectata dignitas, ad hominum famam & magnam existimationem dimanauit. Accessit quoq; eximia in Academiam Reuerendiss. D. V. propensio. Quid enim ille

non singularem se studijs bonis patronum profiteatur, quem ad dignissimam Magni Officij speculam, non fortuita hominum consensio, sed spectata inter probos virtus, & peruagata multorum aures illustrium fama meritorum subuexit. Musis & Gratijs commune aliquando sacrificium fuisse perhibetur, non enim priùs Musæ admirabili sua virtute efflorescunt, antequam præsidiariâ operâ virorum magnorum fulciūtur. Aduertit sapienter Reuerendissima D. V. quantum momentum ad res feliciter administrandas afferant literæ ob eam causam familiam suam (cui præesse Diuina bonitate Reuerendiss: D. V. concessum est) titulis Academicis vult esse insignitam. Vnde cùm plurimi viri Ecclesiæ Dei vtilissimi prodijssent. ALEXANDER PINCZOVIUS, *spes sui Ordinis expectata, Laureis Academicis Conuentum illustrauit, & alios ad sui similem imitationem excitauit. Cui dum ego honoris accessionem carmine, Pierio torno non satis expolito gratulor, Reuerendiss. D. V. (cui illustriora & maiora copiosè domi nascuntur) æquo animo accipiat, illumq; tantùm pro boni nominis existimatione desudantem, benigna vt solet propensione, ad maiora tentanda exuscitet, & me honori eius fauentem fauore suo prosequatur.*

Illustr. & Reuer. D. V.
deditissimus,

M. Jacobus Vitellius.

ARtificum operosa manus post ignam
Flammante recoxit fornace
Aurum, scoriamq́ renitentem
Cedere, dissociauit arte.
Mox pretium & honos propriusq́ uigor
Tenebroso illuniq́ metallo
Redit, & peruincit nigricantem.
Vmbram, humilisq́ soli colorem.
Tua Alexander uirtus, iugis
Doctrina, licet pretium extiterunt
Sibi semper (quis enim uirtuti
Pro merito posuit coronam?)
Licet (inquam) pulcherrima merces
Tua uirtus sibi fuit, attamen in
Academica incude poliri
Artificumq́ manu refingi

Debuerat, ut omnium in aspectu
Pretiosior esset, et as sereret
Te, in ueram lucem extraque leuem
Eueheret fremitum popelli.
O anime, ecquid leniore modo
Quam uerò par fuit aggrederis
Laudibus obstrepere alienis. Heus
Non meminisse noles supellex
Quanta tibi, Scio, in meque frequenter
Descendere tento, Talia sed
Quis tacitus prætereat Diuûm,
Munera myriadasque multas
Virtutum, quas superi largis,
In Alexandrum conuexêre
Manibus. Nam si pietas primum,
Ardua quæque petit, poloque
Capita infert mortalium, ubi animus
Magnum illud principium unde uenit,

Mentis

Mentis præcipite ala inquirit
Ætherea regione odorans
Si pietas hominem propè superis
Exæquat. (Homerus enim altisona
Tuba Musarum inquit) supremi
Progeniem esse Litas parentis
Quo calamo Calliope, queue,
Ore poteris efferre decenter
Illum, qui fundamina proprijs
Artibus à pietate iecit?
Studiorum namque scaturigines
Et maria bonorum, homini cuiuis
Cælesti ex Oceano fluere
Non aliunde putauit ipse
Sic ille uigor pietatis, sic
Pectus honesti ardens flagrabat
Facul is maioribus è cæli
Empyrea æde sibi tributis.

Subiect

Subitò teneris benè uiuendi,
Normam oculis cæpit statuere, quam
Vt amussim rectè ti lineam, opus
Grande, aliquod capiens haberet.
Tunc Miechouiensem fælici
Pede Conuentum ingreditur, totum
Se dedicat Ordini ei, quos ob
Excubias Domini ad sepulchrum
Dicere uoluit prisca uetustas
Custodes, quorum regimina nunc
Torquet, uelut alter Atlas axem,
Et genere & titulis Lubienski
Clarissimus. In loco eo qualem
Se exhibuit Alexander, quisquis
Nosse poterit, ut præconia tot,
Totq; uiros, merita efferentes
Ipsius audierit, cùm officio
Studijsq; quibus libet allectos

In sui

In sui amorem omnes propè uoluit
Quêis studia atq; animum tyronem
Perspexisse intererat, sapiens
Equidem factum. Communi odio
Veluti ictu fulmineo, quæuis
Fracta labant, propriaq; mole
Quatiuntur. Amore autem unanimi,
Vt ahenæis nexibus infractè
Omnia firmantur seseq; ex
Plebiuoro exitio reuellunt.
Exindè Deus secreuit eum,
Medio à populo, stareq; fecit
Electum, adoleret qui sanctos
Intemerata anima penates
Vt fulminis eiaculatrices
Atque tonantes à plebecula,
Cohibere manus sciret supplex,
Prociduusq; petens ad aras

Sed quid ego à capite usque, repetere
Instituo talia, quidue moror,
Pietatis primo in uestibulo
Atque ita signa retexo magna?
Scilicet his gradibus Alexander,
Veram ad doctrinam ibat, ita animo
Inhians expectauit positam
In bonitate beatitatem.
Tantumque diutinus effecit
Labor, ut, dignus ab Academicis
Foret accipere exedris geminam
Laurum Heliconis Apollinarem.
Equidem meritò, eius enim in corde
Cata prudentia, in oreque sapiens
Suauisque loquentia nascitur, hic
Pectore et ore sagax habetur.
Magno ille stupore animos, simul et
Aures perculerat, ubi eloquij

Alea,

Alea, Suadelæq́ cuiuis
Experiunda uenit disertæ
Usq́ adeò mentes alienas
Raptabat, ut auream ab ore eius
Exire catenam illaqueandis
Auribus, omnibus hæc fuit uox.
Ubi Mæandris Stagyrithæis
Et perplexo itinere currendum
Fuerat, scopulisq́ effugiendi
Nau, raga quos ratio extimescit.
Intrepide euasit, & extra omnes
Stetit incolumis tempestates
Quamuis Aquilonius impeteret
Undiq́ turbo frequens procellis.
Nec mirùm in eo munere Diuum
Doctrinam reperiri innumeram
Virtutesq́ innumeras, illud
Unicum ego grauiter stupesco

Quod magniloquens iactantia ei
Procul abfuit & lingua immodicæ
Nata faturitatis quæ pennâ
Sæpius exiguum ampliore
Nidum tranfilit, eius fimilis
Qui uix humili terræ irrepens
Cælum fua ab hafta fractum iri
Crediderat ftolide & pudenter.

Μητίετα ζεύς ἀτυρόγλωσσον
Μισεῖ, ait ille Antipater, odit
Deus effrenem linguam, fua per
Septa, frequentius euolantem.
Sapientia fumma inquit Xenophon
Fieri fapientem, nec uelle
Aura ex populari pendere
Cum fapies populo tibi mox
Defipies. Nunquam adeo mentem
Transuerfam egit, malus error ei

Quem

Quem sibi (tenui quanquam calamo)
Musa rudis celebrare sumpsit
Nunquam ille suus Suffenus erat
Nunquam sua miratus, haberet
Etiam si unde sibi gaudere
Posset, & in numero uirorum
Censeri. Plena fidelia non
Sonat impulsa, uacuam ut impellis
Plus æquo personat, & postquam.
Tinijt, officio putat se
Defunctam. Nil minùs ut talis
Animus laudatur Alexandro
Namq; sui mirator apud se
Parcus, & exigua auctione
Animi licitatur bona proprij.
Hinc iure Boetius obtinuit
Dici, illa celebris Romulidum
Lampas & eximium orbis astrum

Quem nulla tametsi permagna
Fortuna exuere potis fuit ex
Mente, & nulla grauis magnanimum in=
        uertere pectus ob insolentem
Ludum. Quid longius obtrudis
Numeros insuaues Calliope
Potius gratuleris Alexandro
        Lauream honorificam, gradumq́3
Quem uirtute ingenita acquirit.
O utinam honor iste tibi cedat
Dextro Hercule in augmentum magni
        Ordinis atq́3 imitationem
Similem. Et licet ætatem præter
Contigeris id ornamentum, agito
Virtutibus anteire ætatem
        Disce, uel ante pilos decorum, ad
Probitatis anhelare cacumen.
Ita apud Chironem Pelides

Vix sexennis simulachra sui
Roboris, assiduo exhibebat.
Partim breuiorem hastam iaculans
Partim agrestibus apris meditans
Cædem, apricidæ Diuæ, tantam
In puero obstupuêre mentem
Chironque sibi tacitè plaudens
Gaudebat, nutricio ubi suo
Multum impauidi accrescere uidit
Pectoris, atque animi frequenter
Ardua tentantis. Idem spero
Fore tecum, quandoquidem in te unum
Mentes oculosque tuorum ipse
Vertit Olympius, atque te ipsum
Voluit faculam Ordinis esse tui
Gemina lauro Academica adornans
Virtutesque tuas uelut aurum
Eximium, expoliens labore

Viuam

Vtinam uerò aureus ob tantas
Habearis dotes, proficias
Vtinam Ecclesiæ & Ordini, animitus
Musa mea hoc tibi comprecatur.